

# Canones Concilii

PROVINCIALIS COLONIENSIS ANNO CELEBRATI

M. D. XXXVI.

*Quibus nuperrimè hæc addita sunt:*

REFORMATIO Cleri ad correctionem vitæ & morum, ac ad remouendos abusus,

*Per Reuerendiss. in Christo patrem, & dominum D. Laurentium, tunc S. R. Ecclesie TT. sanctæ Anastasie presbyterum, nunc Sabinensem episcopum, Cardinalem, Ad nationem Germanicam, sedis Apostolicæ de latere Legatum  
Ratisponæ edita.*

STATUTA Synodalia reuerendiss. in CHRISTO patris D. Valentini, Episcopi Hildesemenfis.

FORMULA viuendi Canonicorum, Vicariorum, & aliorum presbyterorum secularium.

PARISIIS,

*Cat 84*

*Prostant apud Galeotum Pratensem, in aula Regia, ad primam Colonam.*

1545.



**HERMANNVS DEI GRA**  
**TIA SANCTAE COLONIENSIS ECCLE-**  
**siae** Archiepiscopus, sacri Romani Imperij per Italiam Ar-  
chicancellarius, princeps Elector, Vvestualiae & Angariae  
dux, sacrosanctae Apostolicae sedis Legatus natus, ac admi-  
nistratoꝝ ecclesiae Paderbonen. &c. vniuerso clero ac po-  
pulo prouinciae nostrae Coloniensis, salutem in domino  
sempiternam.

**I**NTER innumera huius calamitosa tempestatis aduersa,  
quibus iusto Dei iudicio premimur, nihil ita ex eo potissimum  
tempore, quo nos Deus Opt. Max. licet indignos, ad ministerij  
episcopalis functionem vocare dignatus est, animum nostrum  
torset, quam quod videmus ecclesiae nauiculam, velut indormien-  
te ipso nauclero Christo Iesu, in medijs constitutam fluctibus turbulentissima-  
rum procellarum impetu, iam nimium diu summo cum rei Christianae periculo  
iaectari, nec interim in tanta verum desperatione laborantibus, vllum alicunde sa-  
lutis portum in quem se tuto recipiat, Christi nauis, vel de longinquo ad fulge-  
re. Nam quod aliquot abhinc annis pleraque remedia tentata sunt, id nos dis-  
cruciat magis, quum animaduertimus haectenus penè nihil actum, sed omnino  
frustrà laboratum esse. Et quis, queso, tam stupidus est, qui non sentiat omnem  
conatum nostrum idcirco irritum atque inane fuisse? quod hucusq; nec syn-  
cera in Deum fide, nec vnanimi voto indormiscentem dominum ardentibus pre-  
cibus inelamauerimus, sed incredulitate torpentes, ac corruptissimis animorum  
affectibus, studia in contraria currentes, non respexerimus toto corde in eum, qui  
dixit: Venite ad me oēs qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Ne-  
que enim ille vel immemor est promissi, vel manus eius abbreviata, vt saluare  
non possit, qui non derelinquit omnes sperantes in se, sed iniquitates nostrae di-  
uiserunt inter nos & illum: atq; vtinam iam tandem respicientes, studeamus,  
repurgatis per Dei misericordiam mentibus nostris, vel tantillam fidem à domi-  
no impetrare, quantula Apostoli praediti erant, quam in mari intumescenti  
cōprehensi, dominum pariter accesserunt, atq; in cervicali reclinantem suscita-  
runt, inelamantes: Domine, salua nos, perimus. Quae vt tum non satis integra  
fuerit, quod vicissim audirēt: Quid timidi estis modicae fidei? tanta tamen fuis-  
se perhibetur, vt Iesus ille seruator excitatus ac surgēs, imperaret ventis & ma-  
ri, adeo vt statim subsecuta sit tranquillitas magna. Quam inferior ergo illa,  
licet modica, vnanimi tamen discipulorum fide, nostra erga Deum fiducia ha-  
ectenus fuerit, quam indignos gratia Dei praestitit, quanquam adhuc rudi-

DE MVNERE EPI-  
SCOPALI.

*Officium Episcopi post Verbi prædicationem cōsistit potissimùm in impositione manuum, & visitatione Ecclesiarum.*



**E**PISCOPUM Munus in duobus potissimùm consistit. Primùm, in impositione manuum, quæ est ordinum ecclesiasticorum collatio, ac institutio ministrorum. Deinde in visitatione dioceseos. Vtrunque beatissimus Apostolus ad Titum dilectum filium, Cretæ Episcopum scribens, complectitur: Huius, inquit, rei gratia, reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Alterum verò idem Apostolus, cum à Mileto discessum maturaret, profecturus Hierosolymam, ac certus quòd amplius haud visurus esset faciem eorum omnium, per quos transiit, prædicans regnum dei, vocatis illò ad se ab Epheso ecclesiæ presbyteris, apostolica vehementia inculcat, cum ait: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere ecclesiã Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et quoniam scio, inquit, quòd intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: & ex vobis ipsis exurgent viri, loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se: propterea vigilate. Cui muneri, vt ambo illa apostolici ordinis eximia luminaria, nimirum Petrus, ac illius collega Paulus, satisfacerent, alter transiit & inuisit vniuersos, alter perambulauit Syriã & Ciliciam, cõfirmans ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum: nimirum non tantum verbo, sed & exemplo Episcopos ammonentes, vt qui speculatores in Dei ecclesia constituti sunt ac appellantur, prouinciæ sibi mandatæ, vigilantissimè intendant, fidem, conuersationem, mores & vitam singulorum explorèt, examinentque, ac prouideant, ne alicubi quis in ea vocatione, ad quam à Deo vocatus est, torpescat.

Titum. 1

Act. 20.

Acto. 9.

Acto. 15

# REFORMATIO CLERI GER- MANIAE AD CORRECTIONEM VI- tæ & morum, ac ad remouendos abusus.

LAVRENTIVS MISERATIONE DIVINA  
tituli S. Anastasie, sancte Romane ecclesie presbyter Cardinalis,  
per vniuersam Germaniam ac Hungarie & Bohemie, Polonie-  
que regna, & quæcunque alia loca, ad quæ nos declinare  
contigerat domini nostri Papæ, & Apostolicæ sedis Lega-  
tus, ad perpetuam rei memoriam.



**L**X Legationis officio à sede apostolica nobis commisso obligamur, vt circa statum perso-  
narum ecclesiasticarum sub finibus nostræ le-  
gationis consistentium in melius reducendum  
propensius cogitemus, vt quæ in eis à sancto-  
rum patrum decretis & ordinatione deuiare  
perpendimus, ad debitam reformationis normam dirigentes,  
eis opem & operam adhibeamus efficaces. Nuper siquidem  
cum sanctissimus dominus noster Clemens Papa vij. cum pro  
pastorali suo officio, tum pro ea affectione, qua in clytam na-  
tionem Germanicam paternè prosequitur, intellectis eius flu-  
ctuationibus, hæreticorumque impietate indies crescete, nos  
ad vniuersam Germaniam suam & apostolicæ sedis Legatum  
de latere miserit, non aliam ob causam, quàm vt tranquillitati  
provinciæ, & saluti animarum, quæ periclitantur ob dictâ nu-  
per natam impurissimam omnis hæreseos sentinam, consulat.  
Quod onus licet humeris nostris impar, eius tamen præceptis  
& mandatis obedire (vt tenemur) volentes, freti Christi fauo-  
re, seruatoris nostri (cuius negotium agitur) subiuiimus. Ni-  
hil hic prorsus nostris viribus tribuentes, aut præterea cupien-  
tes, quàm quod ad munus hoc feliciter implendum attingat.  
Cumque aliquot mèsium experientia multa collapsa, & præ-  
ter omnem opinionem difficultatibus plena perpenderimus,  
cum serenissimo Ferdinando, Hispaniarum principe, archidu-  
ce Austriae, Imperiali locumtenente generali, communicatis  
consiliis, concordis sententia particularem conuentum in ciui-  
tate Ratisponæ conuocare decreuimus, In quo vnà nobiscum  
interfuerunt præfatus serenissimus princeps & archidux, Re-  
ueren. Matthæus S. Romane ecclesie tituli sancti Angeii  
presby-

vt ita fiat (quoniam nihil proderit leges condere, nisi sint qui conditis viuant, mentemque eatum exequantur) vtque reslo-reat catholica fides ecclesiasticaque dignitas, heresibus radici- tus extirpatis, suum locum recuperet, idque vix alio modo aptius atque commodius fieri possit quam synodis. Itaque priscum synodorum morem renouare cupientes, statuimus & ordinamus vt singulo anno saltē synodus dicecesana oppor- tuno tempore à singulis episcopis celebretur cum potioribus praelatis decanis ruralibus virisq; dignis, in quibus per quar- tas designentur iudices, per diligenter intendant si statuta pre- dicta, ac alia per synodos de scitu episcopi statuenda obseruetur, inuocato ad hoc si opus fuerit brachio seculari. Mandan- tes propterea, vt huius nostrę constitutionis ordinationisque series in pręfatis synodis tam prouincialibus quam dicecesana- nis, in earundem principio diligenter legatur, ne quis in fu- turum ignorantiam prętexere possit. Datū Ratisponę, An- no à Natiuitate domini, Millesimo quingētesimo vigesimo- quarto, Nonas Iulij, Pontificatus pręfati domini nostri Pa- pę anno primo.

Visa.

Iul.

Flo. Montinus.

D. de paternina.

G. Prego.

## STATUTA SYNODALIA

REVERENDI IN CHRISTO

patris, domini Valentini, episco-  
pi Hildesemensis.

**I**N NOMINE Patris & filij & Spiritus sancti. A-  
mē. Valentinus Dei & Apostolicę sedis gratia e-  
piscopus Hildesemensis, vniuersis seculariū & re-  
gularium ecclesiarum pręlatis, capitulis, conuen-  
tibus, rectorib<sup>9</sup>, plebanis, viceplebanis, canonicis,  
capellanis, presbyteris, clericis, & laicis per ciuitatem & dice-  
cesim nostras vbilibet constitutis presentibus & futuris, salu-  
tem in Domino sempiternam. Christus ille optimus maxi-  
mus gubernator & rector omnium celestium & terrenorū,  
ęquo tramite cuncta disponens, voluit & in terris cum spiri-  
tualium, tum & secularium negotiorum, legum quandā esse  
seriē, qua in humanis degentes, ducti natia insolentia, que  
perpetuo ad malū flexa est, postposita, à vitiis tanto magis de-

h iij tertetē-

CHRISTIANAE INSTITUTIONIS.

- Gradus fidei iustificantis. 139.b  
 Gradus quidam sūt in lædēdo. 285.a  
**H**abitus virtutis & opus exter-  
 num differunt. 178.a  
 Halleluia quid significet. 50.a  
 Hæreditas impiorum mors æter-  
 na. 32.b  
 Hæretici, falso apud se fidem esse  
 volunt. 28.b  
 Hæretici, ipsū christū frustra re-  
 spuunt. 44.a  
 Hæretici hallucinātur in Pauliver-  
 bis. 83.b  
 Hæreticorum studium in quo vigi-  
 let. 161.a  
 Hominis mens incomprehensibili-  
 lis. 5.b  
 Homo quare creatus. Ibidem  
 Hominē vestigium diuinitatis ex-  
 primit. 6.a  
 Hominū quorūdam stupiditas. 6.b  
 Homo sepe carnalis & animalis ap-  
 pellatur. 20.a  
 Homo ex quibus constet. 30.b  
 Homo creatus ad sacrificandum  
 Deo. 59.b  
 Homini quæ insint. Ibidem  
 Homo obnoxius morti duplici ra-  
 tione. 61.a  
 Homo quomodo à Deo deserat-  
 tur. 89.a  
 Homo non est in hac vita sine pec-  
 cato. 96.a  
 Homo bis se debet Deo. 98.b  
 Homo, ex operibusne, an ex fide  
 iustificetur. 142.b  
 Homo iustificatus in dies magis iu-  
 stificatur. 144.a  
 Homo quare aspergitur cinere in  
 capite ieiunij. 150.b  
 Hominibus inuolutis quid agen-  
 dum. 155.a  
 Homicida apud Deum quis sit. 246.a  
 Hominem totum libido fœda com-  
 mutat. 290.a  
 Honor etiam complectitur. 278.a  
 Hostes nobis tres sunt, cōtra quos  
 semper dimicandum. 42.a  
 Hostes nostri diligēdi sunt. 228.b  
 Hostes nostri tres, & potentes val-  
 de. 231. & folio sequen.  
 Hostiæ veteris legis, defūcto Chri-  
 sto euauerunt. 13.a  
**I**anitorum officium quale. 163.b  
 Iconomachi damnati. 252.a  
 Ieiunium, oratio, & eleemosyna  
 peccata delent. 129.b  
 Ieiunium & eleemosyna orationē  
 faciunt alacriorem. 203.b  
 Ioannis Euangelistæ locus expli-  
 catur. 111.b  
 Imaginum vsus quomodo haben-  
 dus. 258.b  
 Imaginum vtilitas. 259.a  
 Imago saluatoris: quomodo colen-  
 da. Ibidem  
 Imagines non prohibētur, sed ear-  
 um adoratio. 258.b  
 Imagines tenendæ tanquam mutæ  
 historiae. Ibidem  
 Imago crucis olim in ecclesia sed  
 non lanceę aut clauorum. 259.b  
 Impietas huius seculi diuinum. 223.b  
 Impiorum hæreditas mors æter-  
 na. 32.b  
 Impij suam damnationem in Deū  
 transferunt. 88.b  
 Impiis quibusdam satis occurritur  
 super

HERMANNVS DEI GRA-  
TIA SANCTAE COLONIENSIS EC-  
CLESIAE ARCHIEPISCOPVS, PRINCEPS  
Electoꝝ, Vvestualiaꝝ & Angariaꝝ dux, ac admini-  
strator Ecclesiae Paderbornen. &c. Omnibus  
ac singulis Parochis, aliisque diuini Verbi mini-  
stris, per nostras Ciuitates ac dioeceses constitu-  
tis, Salutem in Domino sempiternam.



ENCHIRIDION DOCTRINAE Chri-  
stianae, quod vobis in Cōcilio nostro prouin-  
ciali nuper polliciti sumus, praeter institutum  
nostrum in iustū exit volumen, quod tandē,  
Deo authore, reddimus. Maluissemus certē, si  
licuisset, Enchiridij metas nequaquam exce-  
dere: verū cum in progressu experiremur, res quasdam ma-  
ximi momenti, quae in praesentia, quorundam nouatorum cu-  
riositate summa cum ecclesiae iactura cōtrouertuntur, (veluti  
sunt illae, de authoritate Ecclesiae, de hominis Iustificatione,  
de sacrificio Missae, ac similes complures) tam paucis explicari  
non posse, vt libellus intra Enchiridij angustias continere-  
tur: & tamen vestra omnino referre sentiremus, vt hae res ad  
catholicae Ecclesiae sententiam diligenter expenderentur, ac  
quam fieri posset explicatē traderentur, quod alioqui omnis  
noster labor nullum fructum facturum videretur: potius vi-  
sum est, libro per nos edendo aliud nomen à iā designato in-  
dere, quàm committere, vt vos, ignoratis illis, quae sine graui  
periculo, praesertim hac tempestate ignorari non possunt, nō  
solum ipsi impingeretis, sed & populum vobis concreditū in  
eandem ruinā vobiscum traheretis. Quamobrem ne vel hinc  
quispiam ansam calumniandi arripiat, per nos planē licebit,  
vt qui hunc quem damus librum, ob sui magnitudinē Enchi-  
ridion propriē vocari ac inscribi nō posse arbitrabitur, is eū-  
dem aut Institutionem doctrinae Christianae, aut Compen-  
dium Christianae institutionis, aut (si malit) alio quolibet no-  
mine appellet, modō tamen operam nostram boni consulat,  
& quae pro nostra exiguitate in mediū adferimus, sic accipiat,  
tanquam ab eo profecta, qui non suae, sed communi ecclesia-

A rum